FRANCKESCHE
STIFTUNGEN

Francksche Stiftungen zu Halle

Brief von Philipp Jakob Spener an Johann Wilhelm Petersen.

Spener, Philipp Jakob

Frankfurt am Main, 14.05.1674

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-243086

Visual Library

illud redire. Ignosce vero amicæ confidentiæ, quod etiam opera tua, de te merendi hactenus impos, uti non verear. Vale Domino et ejus gratiæ commissus. Scrib. Francof. 4 Kl. Mart. Anni 1674. Clariss. T. Virtutis studiosissimus et ad preces atq officia obstrictissimus
P. J. Spen: D.

Salutem a Jesu Salvatore!

Præclarissime et præcellens Domine Magister, Amice honoratissime.

Quæ de M. Vagede mihi perscripsisti cum stupore legi, adeo quicquid Christianæ pietatis est impium illum ejurasse videatur oportet. In memoriam autem mihi revocavit ea res impios ~~impiosos~~ et scandalosos sermones viri alioqui gente illustris, qui ante hos quinque annos hac in urbe et vicinia cum multorum offensione exauditi sunt, quos etiam induto Magistratui nostro detulimus, ut sua auctoritate caveret curaretque, ne Ecclesia detrimentum caperet. Qua ex re deinceps nonnihil mihi periculi creatum fuit, quod tamen divina gratia et contemnere potui et superavi. Uti vero tales forte reliquis ~~aliis~~ imprudentiores, multa cum insania prorumpunt, ita multo plures sunt, qui cum idem plane sentiant, nihil tamen ejusmodi effari audent, sed ut pii etiam habeantur abominationes has intra penetralia pectoris servant, aut occasio-

Franckesche Stiftungen zu Halle

nem tantum præpolantur, qua tuto effutire ſua, et nocere vehementius queant; adeoque eo periculoſiores, quo pri~~gi~~ tectiores ſunt. Crediderim tamen in utrisque coërcendis diverſa ratione agnoſci debere providentiam divinam, quod hinc illi nequeunt ſe continere, ſed ea intempeſtive effundant, quæ deinceps impedimento ſunt ne unquam ita emergant, uti ſperabant, nondum enim eo impudentiæ plerique etiam mali devenere, ut apertam impietatem fovere audeant; iſthinc vero corde alii premunt vitia, quod adeo vix aliis quam ipſis nocere poteſt. Novi virum quocum mihi olim converſatio non infrequens, plane atheum, et qui nec providentiam divinam, nec quicquid Christianæ doctrinæ eſt, crederet, ſed exteriori ſpecie religionem veram amplectitur, ut eum præ multis aliis pietati dixeris ſtudere, neque ea faſſurus eſſet, quæ in meum de cordis ſui intimis effudit ſinum, ſi ipſum deferrem vel accuſarem, potius centum ſi ita exigeretur juramentis, quorum in pectore ridet religionem, rem eſſet negaturus. Certum tamen me eſſe juſſit, ſe neminem unquam ſeducturum eſſe, ne ipſos quidem, ſi quos haberet liberos. Agnoſcere enim ſe qua miſeria ſit, ſine ullo divinitatis vivere

ſenſu, uti ſaepe ſibi optet, erroris illius vulga-
ris, quo nomine omnem noſtram doctrinam indi-
gitat, nonnulla ſibi imprimere, ſi poſſet. Mi-
ſerebat me ſaepe hominis ſed nihil apud ipſum
valuere validiſſima etiam adverſus impietatem
eam argumenta, adeo videbatur neſcio
quo divino judicio in reprobum datus eſſe ſen-
ſum, ut lapidi dicerentur, quae illi. Ab
eo vero didici, qui numerus illorum ἀθέων in-
ter exteros, quorum ille magnam partem noverat.
Unde metus, annis non adeo multis multo plus
nobis cum atheis quam illis, qui circa Chri-
ſtianae doctrinae articulos aliquos tantum a
nobis diſſident, negotii fore. Haec nempe prepa-
ratio eſt ad ea, quae de extremis temporibus
ſacrae litterae nobis praedixere, et neceſſario
eventura ſunt. Veſtrum Δία ἐλεγχόμενον
Luciani a Dn. Scheldio mihi inter alios
inſcriptum ſuperiori ſeptimana accepi, cum
vero exigat animum legentis aliis non refer-
tum, ut proximis ſolum diebus illum perlegam
ſeponere coactus fui. Ut autem veſtra opera
impietas ita confundatur, ne quis deinceps
eam ſectari velit, quae non minus abſurda
quam nefaria eſſe monſtrata eſt, gratiam divi-
nam et benedictionem ex animo adprecor.
Dn. Rennepagenium noſtrum in veſtrum incidiſſe
conſortium gratum mihi fuit, cum intellexi,

Praeclariſſimo et Excellenti Domino M. Johanni Willhelmo
Peterſen, Sacroſanctae Theologiae Candidato pereximio. Do-
mino fautori et amico meo Honoratiſſimo
Gieſſen.

10.

E Praclariss. D. Secr. zum studiosissimum et ad precerat[que] officia addictissimum Philippum Jacobum Spenerum

quod sciam, consuetudinem illam ipsius studiis, quo etiam porro vestro favori commendo, fore utilissimam. Vale, Fautor Honoratissime et quod facis amare perge

E Praclariss

Francof. ad Moen. 14. Maij 1674.

Salutem a QUMICO.

Vir praecellens et praeclarissime, domine fautor et amice honoratissime.

Ad priores tuas silui, donec alteris monerer, non quod illas contempserim, fuere enim non uno nomine gratissimae, sed quod varius vacat ad acceptas illico respondere. Cum gratias egisti mihi, vellem aliquod meum tibi praestitum officium extare, quod tales mereretur, sed nullius mihi, verum optimi solummodo affectus ~~mihi~~ conscius sum. Ita et alia in me laudas, ut elogium potius a tua oriatur benevolentia, (: Solemus enim benignius de iis opinari quos diligimus :) quam ut condignus ego sim. Pietatis ut hic demum radices altius tibi infigerentur, credo opus non fuisse, cum illius studium pridem tibi fuerit cordi: si tamen nova scintilla ignis ille auctus est, DEO juxta tecum gratias ago immortales. Ah utinam pari in pretio omnibus illis, qui sacras tractant literas et aliquando Ecclesiasticis functionibus adhiberi cogitant, studium esset pietatis, ut illius etiam exercitium, ubi sine apparà-